

Petrus de Vinea

*Ep. V 1 (Ad extollenda iustorum
preconia et reprimendas...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 1 (Ad extollenda iustorum
preconia et reprimendas...)*

febbraio 1246

Commisso uicariae cum gladii potestate.

1. Ad extollenda iustorum preconia et reprimendas insolentias transgressorum, prospiciens de celo iustitia erexit in populis regnantium solia et diuersorum principum potestates. Caruisset namque libenter humana condicio iugo dominii, nec libertatem a se, quam eis natura donauerat, homines abdicassent, nisi quod impunita licentia scelerum in euidentem perniciem humani generis redundabat, et sic necessitate quadam oportuit naturam subesse iustitiae et seruire iudicio libertatem. 2. Sed nec extrinsecus exquiri decuit aliam speciem creaturae, cui se representata per hominem celestis ymago subiceret: sed homo prelatus est homini, ut gratiorem prelaturam efficeret ydemptitas speciei. Potissime tamen diuina potentia prefecit ad regimen populorum imperium, dum, ostensa sibi figura numismatis in redditione census et solutionibus debitorum tributorum, prae ceteris regibus Cesareae fortunae fastigium presignauit. Cui diuersimodas subiit nationes non ad hoc solum, ut eis imperando preesset, sed ut ipsis potius iustitiae copiam ministrando prodesset. 3. Inter alias igitur occupationum curas, quibus fluctuantis pelagi more pro salubri rei publicae statu noster spiritus fatigatur, occurrit cogitationibus nostris potissimum cogitatione potissima reuoluentes, quod Lombardiae prouincia utique nobilis, et pars Romani imperii pretiosa, diu prouisione iustitiae caruisset. Propter quod tam filios et indigenas eiusdem quam aduenas in prouincia uenientes, in personis iniurias et in rebus dampna non modica nouimus fuisse perpessos, et ibidem iura imperii multipliciter diminuta. 4. Ne igitur talentum nobis creditum negligenter abscondere uideamur, utpote qui

uillcationis nostrae rationem sumus in examine districti iudicii reddituri, ad hoc dirigimus aciem mentis nostrae, ut, ad procurandum statum pacificum regionis ipsius, imperialis prouisionis instantia salubriter intendamus. Quia tamen ad presens circa partes imperii necessario detinemur, ne terra predicta tantisper fructu nostrae prouidentiae careat, cui potentiae nostrae presentiam necnon et potentiam nostram proximam pollicemur, ecce de tua prouidentia et fidelitate confisi, te, de latere nostro sumptum, generalem uicarium a Papia inferius in Lombardia, ad eos, uelut conscientiae nostrae conscium, pro conseruatione pacis et concordiae specialiter destinamus, ut uices nostras uniuersaliter geras ibidem.

5. Nec tamen te sola uicarii potestate uolumus esse contentum, licet solo uicarii nomine censearis: sed tibi usque ad alium mandatum nostrum adicimus officium presidiatum, concedentes tibi merum et purum imperium et gladii potestatem, et ut in facinorosos animaduertere ualeas uice nostra, purgando prouinciam, malefactores inquiras et punias inquisitos, et specialiter eos, qui stratas et itinera publica ausu temerario uiolare presumunt. Criminales etiam questiones audias et ciuiles, quarum cognitio, si presentes essemus, ad nostrum auditum pertinent. Liberaliter quoque audias et determines questiones, et imponendi banna et multas, ubi expedierit, auctoritatem tibi plenariam impartimur. Decreta utique interponas, quae super transactione alimentorum, alienatione ecclesiasticarum rerum et tuitione minorum, secundum iustitiam interponi petuntur: tutores etiam et curatores dandi quibuslibet tibi concedimus potestatem.

6. Et ut maioribus et minoribus, quibus uniuersa iura succurrunt, causa cognita, restitutionis in integrum beneficium ualeas impertiri, ad audientiam quoque tuam,

tam in criminalibus quam ciuilibus causis, appellationes deferri uolumus, quas sententiis ordinatorum iudicum et eorum omnium, qui iurisdictionem ab imperio nacti sunt, in prouincia ipsa uidelicet, a Papia inferius in Lombardia, prout superius dictum est, contingerit interponi, ita tamen, quod sententia tua ad audientiam nostri culminis possit libere prouocari, nisi uel causae qualitas uel appellationum numerus appellationis auxilium adimat appellanti. 7. Quapropter fidelitati tuae firmiter et districte precipiendo mandamus, quatenus ad statum pacificum regionis ipsius et reparationem nostrorum et imperii iurium in eandem fidem et sollicitudinem tuam, sicut gratiam nostram diligis, sic efficaciter et diligenter impendas, ut in te diligentiae tuae testimonio electionis nostrae iudicium commendetur, dum talem tanto negotio duximus preponendum, ex cuius fide et industria serenitatis nostrae salubre propositum de obseruatione iurium regionis eiusdem singulis exprimatur.